THESIS I.

Additionis ac diminutionis citra Scripturæ Canonem prohibitio

GRavis profecto ac terribilis eſt comminatio, quam *filius tonitrui* Marc. 3. v. 19. Johannes Evangeliſta & Apoſtolus, (eum enim Apocalypſeos autorem eſſe, antiquiſſimos Eccleſiæ Doctores Juſtin. in dial cum Tryphone pag. 240. edit. Commel. Irenæum lib. 5. adverſ. hæreſ. cap. 25. ptg. 335. ed. Gallaſ. Melitonem apud Euſebium lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 25. & alios complures ſecuti atque argumentis minime dubiis permoti firmiter ſtatuimus) ſub finem myſticarum ſuarum revelationum proponit Apoc. 22. v. 18. *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus. Si appoſuerit quis ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto* v. 19. *Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, de civitate ſancta & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Quæ verba haud immerito tanquam generalis quædam clauſula totius Canonicæ N. T. Scripturæ ac velut ſigillum & ſignaculum Canonis gravi conſilio eidem additum accipiuntur, cum Apocalypſis ut eſt ultimo loco inter Canonicos N. T. libros poſita, ita quoque poſt omnes videatur ſcripta.

Tempus ſcriptio.

2. Quamvis enim quidam exiſtiment, *Iohannem ſcripſiſſe Evangelium ſuum poſt Apocalypſin* Bellarmin. libr. 1. de

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn326905774/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG